



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 16. Satisfit Dubiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

tibus provenientibus ex homicidio indirecte vel imperfecte voluntario, & in eo, quod factum est causa defensionis cum moderatime inculpate tutelæ. Item in irregularitate, quæ nascitur ex homicidio iusto propter defectum perfectæ lenitatis, in milite, Iudice, accusatore, advocato, teste, & similibus. *Caiet. in Sum. V. Irregularitas. Henrici l. 14. c. 17. Roder. l. 9. 24. artic. 8. Reginald. l. 30. Tract. 2. num. 23. Sa. V. Ex deform. licita. num. 4. Esco. n. 150.*

Haecenus de Censuris & Irregularitatibus non omnia, quis enim præsumat? sed multa & potissima: nunc quasi peracta melle defectæ, vites domum revocant. Sed relicta in agro fugientesque aristæ ad spicilegium invitant. Dubius igitur, quæ neglecta videntur, expediemus.

§. 16.

Satisfit Dubiis de Irregularitate.

DVBL. I. An summus Pontifex capax sit Irregularitas?

R. loquendo de Irregularitate proprie dicta, quatenus est impedimentum Canonicum à jure constitutum, non pertinere ad summum Pontificem, nec eo per quemcunque casum, etiam homicidii voluntarii implicari posse, quia non ille legibus ecclesiasticis, sed leges ipsi subsunt. Et quamvis diceremus illum, quoad vim directivam legibus subesse, adhuc ab Irregularitate quæ est coercitiva, immunis foret.

Dixi loquendo de Irregularitate proprie dicta, ut excluderem Impedimenta

naturalia, quæ à legibus non pendent. Si ergo aliqua corporis infirmitas, aut deformitas superveniat illi, prudentia, & charitate magistra sciet abstinere ab illis functionibus, quæ in oculos hominum incurrunt, & offendunt, iuxta doctrinam *S. Th. 3. par. 9. 83. art. 10. ad 3.* At ponamus, irregularem esse ante electionem, sive propter natales, sive propter bigamiæ, aut delictum aliquod, & nemini cognitum sit eiusmodi impedimentum. Facile apparet sic maculatum eligere non parum de decore Ecclesiæ dignitatem: si tamen eligatur, eo ipso desinit irregularitas, nec impugnari electio potest, propter scandalum, & Schisma inde oriturum. *c. Licet de elect. & c. Vbi periculum eod. in 6. ubi speculator & alii DD. Navarr. in Man. c. 27. n. 13. Bellar. l. 2. de Pont. c. 12. Avila Par. 2. disp. 1. dub. 7. § ex dictis. Moscon. de Maest. Ecclesie l. 1. Par. 1. c. 1. fol. 26. Franc. Leo in thesam. eccles. Par. 1. c. 15. nu. 17. Suarez. V. disp. 14. Sect. 2. n. 19. Tolet. l. 1. c. 7. nu. 7. Fill. Tr. 19. c. 2. n. 53. Silv. V. Papa. n. 2. Armilla n. 9. Tholos. l. 15. c. 3. n. 21. Maiolus l. 3. de Irregul. c. 4. Em. Sa. V. Papa. n. 2. Fill. Tr. 11. c. 5. num. 135.*

DVBL. 2. An pro Veniali culpa Pontifex irregularitatem infligere queat?

Non desunt, qui horum trium, suspensionis, interdicti, & irregularitatis pœnâ non ita gravem esse existiment, ut peccatû mortale requirant, sed veniale sufficere posse. Nam primò, quod suspensionem atinet, non videtur maior pœna, quam excommunicatio minor, pro qua tamen Venialis culpa sufficit. Deinde manifestius id videtur in interdicto & Irregularitate, cum etiam sine peccato contrahantur, uti constat in Iudice, qui iusto mortis

suppli-

et teos afficit: & in subditis, qui propter
domini sui delictum interdicti poenam
patiuntur. Ita ferè Alph. Castro l. 1. de lege
penalic. §. Documenta 4. Navar. c. 23. n. 55.
segg. ubi etiam respondet ad obiectio-
nem, quæ cuiuslibet obvia, & communis;
inter poenam & culpam requiri propor-
tionem, ut iniustitia vitetur. Sufficit enim
præsumptio in legislatore, qui pro foro
exteriori iudicat maiorem culpam esse,
quam re ipsa sit. Præterea eius, quæ per se
venialis culpa videtur, tales esse circum-
stantiæ possunt, ut moveant animum le-
gislatoris ad eandem cum gravioribus
vindictam, seu poenam. Huius generis ea
sunt, quæ in administratione Sacramen-
torum indecorè fiunt. Si baptizans rideat,
vel iocum spargat, si Eucharistiam præ-
bens ridicula manuum gestulatione Hi-
stionem imitetur, per se loquendo non
videtur lethaliter peccare: nihilominus
propter indecentiam graviore poena dig-
nus est. Quocirca dicendum mihi vide-
tur, non transcendere summi Pontificis
potestatem pro peccato per se non mor-
tali irregularitatem constituere. Quæ
propositio non indiget probatione, si
(quod ratio non prohibet) veterum
Canonistarum regulam, de qua in §. præc.
n. 6. recipimus. Omnem illum, qui rei illi-
citæ operam dat, secuto homicidio, inde
irregulari fieri. In tanta enim variorum
eventuum feriè facile usque venire potest, ut
rei illicitæ vacans non nisi v. nihiliter pec-
cet. Perpende exempla, quæ *Toletus* enu-
merat. l. 1. c. 71. & vide, an non videas in il-
lis, quod modò dixi. Sunt enim eiusmodi
quædam, ut dubitare possis, an ul-
lam culpam contineant, aut certè du-
biam.

Non ideò tamen gravissimorum DD.
de quibus. §. præc. num. 7. sententiam
improbo, nullam de facto irregularita-
tem nisi ex peccato mortali provenire.
Nitiur illa ratione, & auctoritate, suffi-
cienti ad persuadendum, minus & facilis
est præ alterâ, quæ ex quolibet illicito o-
pere si per accidens cum homicidio con-
iungatur, irregularitatem producis. So-
tus l. 5. q. 1. artic. 9. Vasq. l. 2. Disp. 148.
c. 5. Navarr. c. 27. num. 252. Tanner. 4.
Disp. 6. q. 10. dub. 10. num. 181. Bannez.
22. q. 64. artic. 8. §. Dubitatus secundò
Coton. in Sum. Diava. V. Censura. nu-
mer. 17.

DVB. 3. An Episcopi & Prælati Regu-
lares dispensare possint in irregularitate,
quæ ex membrorum mutilatione nasci-
tur.

R. Quantum ex. c. 1. de clericis pug-
nantibus in duello colligimus, homici-
dium, & membrorum diminutio indu-
cens irregularitatem pari iudicio æstima-
barur olim & utriusque dispensatio Papæ
reservata erat. Postmodum à Conc. Trid.
Sess. 14. c. 7 & Sess. 24. c. 6. aliter consti-
tutum est, & solum homicidium volun-
tarium reservatum Pontifici, ita ut episcopis
modò cognita causa & probatis præ-
cibus absolute liceat ab omnibus irregu-
laritatibus, & suspensionibus ex delicto
occulto provenientibus, excepta ea, quæ
oritur ex homicidio voluntario, & excep-
tis aliis deductis ad forū contentiosum. In
quibus verbis cum solum homicidium volun-
tarii mēto fiat excipi homicidia casualia,
& mutilationē membrorum rectè videamur
colligere. Quamvis enim interdum passi-
passu videatur procedere homicidium cum
mutilatione, & pro eodem accipiantur:
id est

id tamen limitatè fit, & extendi non debet ad omnia contingentia: nec quicquid homicidio voluntario tribuitur, etiam mutilationi voluntariæ tribuendum est. Quam ob rem Canones non ratò, ut de diversis loquuntur, puta, in *titulo de homicidio, titulo de corpore vitiat, & Clem. si furiosus de homic.* Neque latinæ linguæ Auctores ut Synonima agnoscunt. Peripicuè Alexander III. in c. 2. de clericis pugnantibus. in duello cum dixisset, dispensari ab episcopo posse, subditum modo ex ipso duello homicidium. vel membrorum diminutio non fuerit subsecuta quæ disunctio superflua est, si homicidii nomine ipsa mutilatio comprehenditur. Adde declarationem Cardinalium in. cit. c. 6. Sess. 24. de reform. cuius hic tenor est. Appellatione homicidij non venit mutilatio membri. Nec obstat *Glo. in Comm. 1. de homic.* quia procedit, quoad incurrendam irregularitatem, non quoad dispensationem. Propter hæc nonnullis placet ista regula. Si qua lex disponit de irregularitate pro homicidio, si ad lenitatem spectat, extendi ad irregularitatem mutilationis, quia favores ampliandi sunt: si verò ad rigorem pertinet non est facienda extensio ad mutilationem, nisi à jure ipso fiat. Alia ratio est, si de sola mutilationis irregularitate quicquam à jure decernatur. Illud enim si rigorem contineat, ad homicidium extendi debet non propter argumentum à simili, vel minori ad maius, sed propter argumentum à parte ad totum, quia homicidium mutilationem vel formaliter, vel eminenter continet. E contrario si favorem contineat, non extendetur, quoniam pœna in minore delicto mitigata non facit consequentiam

pro maiori vel totali. Ex his infert *Rodericus Tomo 1. g. 24. art. 10.* Generales, & Provinciales Ordinum Mendicantium dispensare posse cum suis subditis in foro conscientiarum in irregularitate proveniente ex mutilatione voluntariâ occultâ, non deducta in forum contentiosum, cum habeant iurisdictionem quasi episcopalem, & privilegium. Pius V. etiam concessit Provincialibus Ordinibus Prædicatorum facultatem circa suos subditos, quæ concessit Conc. Trid. episc. opus circa suos diocæsanos. Idem declaravit Greg. XIII. concedendo id anno millesimo quingentesimo Septuagesimo quarto Generalibus, & Abbatibus Congregationis Hispanicæ Ordinis Cisterciensis, ut refertur in Compendio dicti Ordinis. Neque obstat *declaratio Cardinalium in decreto cap. 6. Sess. 24.* non comprehendit inferiores habentes iurisdictionem ordinariam, & quasi episcopalem, sed episcopos privativè quoad alios: non obstat, inquam, quia Prælati, de quibus Roder. loquitur, non huius Decreti virtute, sed speciali indulto summorum Pontificum habent licentiam suos ab occultis irregularitatibus absolvendi. *Henric. l. 14. c. 9. §. 3. Tanner disp. 6. g. 10. dub. 11. n. 230.*

DVB. 4. An prædictam facultatem Episcopi aliis committere possint?

Non videntur posse, quia duæ sunt Decreti partes; prior de Dispensatione irregularitatum ex occulto delicto, posterior de absolutione à casibus reservatis Papæ. In hac additur *per seipos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum;* in priori verò parte nihil additur, sed simpliciter dicitur *liceat episcopis dispensare.* In priori igitur illa parte tantum ut per se ipsos

iplos dispensent. potestas conceditur. Neque hic à simili admittitur argumentatio, cum sint facultates distinctæ. Adde, quod Episcopi quoad hanc potestatem dispensandi tantum delegati sunt, quia non habent illam iure ordinario, sed ex speciali commissione. Igitur subdelegare illam non possunt, sed per seipos exequi debent. Verum ista non sunt eius pretii, ac momenti ut oppositum sentire non liceat. Igitur

R. Episcopum alteri posse facultatem suam dispensandi circa irregularitates occultas demandare. Neque enim sufficiens causa est existimandi prædictam potestatem à Concilio cum tali restrictione datam esse, ut alteri non possint committere; sed contrarium potius exigit necessitas, ut propter absentiam episcopi vel alias causas pius ac doctus confessorius re bene examinata cognitaque irregularitatem tollat. Nec sufficiens fundamentum est, petendi eam facultatem episcopis ut delegatam dari; sed potius illi decreti virtute obtinent illam quasi iure ordinario muneri episcopali annexum. At, *inquis* in priori parte Decreti non est addita extensio, ut in secundâ. R. Si eadem extensio in priori parte adderetur, magis illam restringeret, quia non nisi ad Vicarium specialiter deputandum refertur. Nunc autem ex communi iure quemlibet aliàs idoneum confessorium deligi posse, cui demandatur dispensatio irregularitatis, existimamus.

DVB. 5. An potestas absoluendi ab omnibus peccatis, censuris, pœnis, & sententis ad dispensationem irregularitatis extendatur?

Domin. Soto in 4. dist. 2. q. 3. ar. 1. du-

plicem irregularitatem distinguens, unâ, quæ sine peccato, alteram, quæ ex peccato contrahitur, hanc ait, propriè censurâ esse, infertque cum in Bulla cruciatæ facultas datur absoluendi à censuris, sub ea comprehendit illam, quæ ex delicto est. Quam opinionem aliqui Theologi, & horum imitatione multi confessarii, teste *Suario* indocti, secuti sunt, & eos absoluerunt. Nimirum favores, & privilegia amplianda sunt, quoad fieri potest. *c. Olim. de verb. sign. l. Beneficium. ff. de constit. Princ.* Adderent, cum probabili ratione, & sine præiudicio veritatis. Nam quicquid solus, & Thomistæ aliqui velint, opinio illorum nullo fundamento perstat, & contrariatur praxi, ac stylo Romanæ Curia, ut *Navar. testatur, & Tholeus.* Nam in generali facultate absoluendi à censuris, & pœnis nunquam comprehenditur irregularitas iuxta. *c. ul. de off. Vicarii in 6.* ubi dicitur. *In generali concessione nunquam illa veniunt, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus.* Quod amplius confirmatur ex eo, quod interdum in privilegiis, & bullis Pôntificiis post generalia verba absoluendi ab omnibus censuris & pœnis, addi solet specialiter & ab irregularitate. Atqui pœna est, *inquis*, irregularitas ex delicto proveniens. Non diffiteor, sed sub illa generali formula nō contineri ex ipso usu, & stylo Curia Satis constat. Illæ enim pœnæ intelliguntur solummodo, quæ à receptione, & usu Sacramentorum impedire possunt. Intendit nimirum Summus Pontifex in concessione sua remove obstacula, quibus gratia lubilæi retardatur, vel omnino irrita redditur. *Reginald. l. 30. Tr. 2. n. 24 Suarez V. disp. 1. Sect. 3. n. 5. & 6. Navarr. c. 23. n. 194.*

Tannerus 4. disp. 6 q. 10. dub. 11. num. 230. Tolet. l. c. 189. num. 6. Zerola par. 2. V. Irregular. num. 7. Chapeauville de casib. reseru. 220.

E contra fieri potest, ut Confessarius hominem irregularem absoluat ab omni peccato, & excommunicatione, ita ut capax sit ad suscipiendum omnia Sacramenta, solo Ordinis exempto cuius receptionem & usum Irregularitas impedit.

DVB. 6. Vtrum Irregularitas aliquando mera omissione contrahatur?

Omittens seruire à morte, quem in periculo constitutum videt, aliquando contra charitatem peccat, aliquando contra iustitiam. Contra charitatem peccat pater deserens filium, magister discipulum, amicus amicum. Contra iustitiam, qui officio, professione, aut pacto obligati sunt conservare alios incolumes. His positis.

R. 1. Qui omitendo non peccat nisi contra charitatem, non incurrit irregularitatem. Ratio communis est, quia in lute non reperitur expressa talis irregularitas: nec absque causa omissa est. Qui enim eo modo omitit succurrete proximo suo non cooperatur ad mortem ipsius. Vnde nec homicida dici, nec irregularis potest. At, *inquit*, iura vocant homicidam, qui in tali periculo deserit proximum suum: ut illum quoque, qui panem negat fame laboranti. *Notum est illud S. Ambr. vel c. Pasce. d. 86. si non pavisti, occidisti. Audio, sed in eiusmodi locutionibus homicidii nomen minus proprie accipitur.*

Limita 1. Si præter omissionem defensionis addantur signa, quibus occidens

notet approbati factum suum, indeque animosior fiat. Tunc enim non amplius mera omisso, sed cooperatio quædam esse videbitur.

Limita 2. Nisi omisso ex dolo procedat, hoc est, malo animo, & affectu, quo mortem proximi omitens desideret. *argum. c. Quanta. de sent. excomm.* Vbi excommunicatum dolose permittens clericum percuti, ex quo potuit prohibere, & non prohibuit. Eos delinquentibus favore interpretamur, qui cum possint, manifesto facinori desinunt obviare. Ex quibus verbis colligimus eos, qui tacitate, vel cessatione sua non succurrunt proximo periclitanti, saltem in externo foro præsumi cooperatores, annuendo, vel approbando homicidium. Sed de hoc quicquid sit, si conscientia nihil aliud, quam meram omissionem charitati inimicam acculet, nulla irregularitas contrahetur. iuxta illud *c. ult. 23. q. 8. Qui veto nec eum impugnabant, nec vulnerabant, neque auxilio, vel consilio cooperatores fuerunt, sed tantum adfuerunt, extra nexam sunt Antonin. Par. 3. tit. 28. c. 2. Raymund. & alii, quos refert summa confessorum c. 3. de Irregul. Escobar p. 577. Maiolus l. 5. c. 27. Reginald. l. 29. n. 7. num. 166. & sequi.*

R. 2. Qui omitendo defensionem contra iustitiam delinquit, irregularitatem incurrit. Hoc dabitur à fortiori, qui absolute cessantes ab auxilio, & succursione ad quem ex charitate tantum obligati sunt, irregulares faciunt. Sumitur autem ex cit. *c. Quanta. de sent. excomm.* Quamvis non de Irregularitate, sed excommunicatione loquetur, à maiori ad minus consecutio valet. Si excommunicatur

caur omittentes defensionē, multò magis irregulares erunt. Esto, non ubique nec in aliis materiis iste modus arguendi admittatur de quo. *V. Everhard. in Loco à maior. hic tamen attento legislatoris scopo, & modo procedendi efficax habetur. Sed fortior est. Ratio etiam in præcedenti Responsione indicata. Qui ex iustitia obligatur periclitanti succurrere, & non facit, cum potest, censetur moraliter esse causa homicidii secuti; adeoque irregularis est. Supponimus autem periculum mortis prævisum, & omissionem auxilii voluntariam esset aliàs non apparet, quomodo ad culpam imputari queat: præsertim si ob culpam non lethalem sive dolum admissum in hoc genere nemo irregularitatem incurrit.*

Dicas. Quod aliqua Irregularitas ex mera omissione officii debiti nascatur, non est in iure expressum. Nullo igitur iure asseritur.

R. In moralibus actus positivus & negativus quoad pretiū & meritum æquiparantur, vocaturque quasi actio, seu factum morale. à S. Thoma 1. 2. q. 71. ar. 5. & 6. & q. 72. ar. 6. ead. Quod etiam Iurisperiti agnoscunt in l. 163. ff. de Reg. Iur. ubi dicitur. Qui non facit, quod facere debet, videtur facere ad versus ea, quæ non facit. ubi Philip. Decius. Nota hic quod non facere dicitur facere: & hoc etiam in pœnali bus procedit. Idem in Regula 15.

Id quod nostrum est &c. Factum nostrum hic etiam non factum inducit. Nā appellatione facti etiam non factum continetur. inst. de Nupt. §. si qua uxor, ubi dicitur, rectius illos factores, si se abstinerint. Et hoc etiam locum habet in materia pœnali. Ita Decius. Cum ergò

de Irregularitate, quæ pœna est loquamur, perinde fuerit omissione illam, an commissione promereri: & qui omittit rueri constitutum in periculæ vitæ amittendæ, pari cum homicidis merito censetur.

Illud in hac omissione non omitto, quando omittens movetur timore aliquo, puta, ne in suis rebus inde damnnum patiatur, vel gravem aliorum offensionem incurrat, homicidium ex ipsius ignavia secutum non posse ut directè voluntarium imputari illi, sed ut volitum indirectè, aut casuale. Erit autem directè voluntarium, quando ex odio desiderat illius interitū. Suar Disp. 45. Sect. 4. cir. fin. Nav. c. 27. n. 231. & seq. Reginald. lo. cit.

DVB. 7. Vtrum irregularitas homicidii per Baptismum tollatur?

Ante Baptismi susceptionem irregularitatem propriè loquendo nemo contrahit, quia baptizatis tantum Ecclesia leges præscribit, & impedimenta in susceptione Sacramentorum, vel administratione determinat. Sed quia etiam non baptizati bigami fiunt, vel homicidæ, à quibusdā maximè antiquioribus Canonistis Irregulares appellantur, intellige radicaliter. Atque hinc nata est distinctio illa, Irregularitatem tribus modis tolli, Baptismo, religionis ingressu, & dispensatione. Quod igitur hic quærimus, est, an Baptismus in homicida impediatur irregularitatem, ita ut quamvis tevera causam sufficientem dedisset ante Baptismum, illi tamen iam baptizato non imputetur? Gibalinus c. 6. in expos. Propositionis pag. 407.

R. Ex homicidio ante Baptismū commisso nemo irregularis ceteretur, postquam baptizatus est. Constat ex c. Si quis viduam.

*viduam. dist. 50. ubi decernitur ordinandum non esse, qui homicidij facto aut præcepto aut consilio post baptismum conscius fuerit. Soli igitur post baptismum, & ante illum nemo irregularis censetur, quamvis homicidii scelere fuerit contaminatus. Adde, quod Baptismus peccata omnia, & pœnas inde consequentes tollit. Igitur si homicidii Irregularitas pœna est, Baptismus illam extinguit, quamvis alias Irregularitates, quæ propriè non habent pœnæ rationem, nõ auferat, cuiusmodi est bigamia, & turpitudine nat. lium. *Silv. V. Baptismus §. 6. n. 2. Filliut. Tract. 2. c. 5. n. 97. Armilla num. 62.* Eadem ratio probat de aliis omnibus peccatis, quæ ante baptismum committi possunt, & in baptizatis annexam habent irregularitatem. Quocirca *Gibalinus c. 6. q. 2. Confectario* 1. benè laudat, & approbat Suarii regulam. Quod nulla irregularitas maneat post Baptismum, præter eas de quibus in iure sufficienter expressum est, *Tanner. 4. disp. 6. q. 10. dub. 11. nn. 233. Tolet c. 31. vel 89.**

DVB. 8. An expiato per pœnitentiam crimine seu homicidii, seu alterius criminò cesset etiam Irregularitas?

R. Si vulgare illud, Cessante causa cesset effectus *l. 2. §. ult. ff. de don.* nulla limitatione restringeretur, contra quam in omni causarum genere, licet parcus in finali demonstrat. *Cardin. Tuschus in lit. C. nu. 202.* facile diceremus, cum culpa irregularitatem, quamvis non sola causeret, culpa sublata tolli continuò irregularitatem. Nunc autem alia via incedendum nobis est. Aliquæ enim irregularitates habent causam naturæ suam temporalem, cuiusmodi est defectus ætatis, scientiæ, li-

bertatis, & similes: alæ verò habent causam non temporalem, sed ex se perpetuam, cuius generis sunt omnes, quæ fundantur in actu præterito, qui semel factus infectus esse nequit. Ita se habet illegitimò natum esse, deliquisse in administratione Sacramentorum, interfecisse hominem, & alia penè infinita. Illæ igitur, quarum causa temporalis est, illa cessante pereunt; aliarum, quæ perpetuam causam habent, diversa ratio est. Non enim quia actus V. g. homicidii desinit, irregularitas etiam extinguitur, quoniam non desinit perfectè seu adæquatè. Remanet enim quoad denominationem facti esse. Verum enim omni tempore est, homicidium commissum esse: ac proinde licet omni modo pœniteas, & coram Deo duas offensam, remanebit denominatio illa, & illi affixa Irregularitas, etiam si miraculo resuscitares occisum. *Maiol. l. 6. c. 37. & 77. Nav. c. 25. num. 73. & 77. Silv. V. Concubinaris §. 4. Henric. l. 14. c. 17. n. 1. Tabiena. V. Irregularitas. n. 5. Suar. D. 41. S. 1. nu. 5. Tanner. 4. disp. 6. q. 10. c. 11. num. 227. Gibalin. pag. 403.*

DVB. 9. An irregularitatem priùs contractam extinguat abrogatio legis subsequens?

R. Abrogatio legis irregularitatem invehentis aliquando Irregularitatem contrahendam antecedit, aliquando contractam sequitur. Quando antecedit, nullum est periculum irregularitatis. Non enim nulla potentia est: nullus extinctæ legis effectus. Hodiè igitur si legem de illegitimis à beneficiis ecclesiasticis, & ordinum factorum receptione arcendis Pontifex abrogaret, nemo ex natis in futurum illegitimo concubitu irregularis

latis esset. Eadem de aliis omnibus, cum ex Summi Pontificis voluntate omnes pendeant, ratio est. De aliis, quæ ante abrogationem legis contractæ fuerunt, quæstio remanet satis dubia. Quomodo enim pœna iam contracta per legis abolitionem tollitur, cum ad illam non dirigatur, & extendatur. Neque enim legislator in sententia sua dicit. Abrogo irregularitates hæcenas propter legem contractas, sed abrogo legem, propter quam contractæ sunt. Exemplum vide in excommunicatione. Si Papa legem aliquam sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ propter usum sortium ex. gr. abroget, nemo quidem deinceps si utatur sortibus excommunicationem contrahet: qui autem prius ligati sunt, non nisi per absolutionem liberi erunt. Huius argumenti robur agnoscit. *Suarez, cumque fecerit Gibalinus*, oppositam nihilominus sententiam ut magis favorabilem recipit, præsertim si sententia abrogatoria nulla temporis differentia ponatur. Verum si verba legum, ut in *Prolegomenis § 6. diximus*, propriè accipienda, & non extendenda sunt ad ea, quæ in mente legislatoris non continentur, gratis dici videtur retrahi ad iam contractas irregularitates, easque expungere. Abrogo legem, ait Iudex. Definit ergo quenquam ligare, sed ligatum non continuo solvit. Nam vincula seu impedimenta iam pridem posita in conservatione sua non pendent à virtute legis à qua manarunt, sed absque ullo respectu ad illam manent. Sive ergo lex in vigore suo maneat, sive aboleatur, aliunde medium pro contractibus irregularitatibus amovendis petendum erit. *Suar. l. cit. nu. 7. Gibalinus c. 6 q. 1. Conf. 6*

DVB. 10. Vtrum Irregularis aliquando de hæresi suspectus sit?

A *Conc. Trid. definitum est Sess. 25. c. 3. de reform.* eum, qui in excommunicatione pertinaciter toto anno stetit, de hæresi suspectum esse, posseque contra illum ab inquisitoribus procedi. Quod *Bern. Diaz in Practica sua c. 106. intelligit* de quacunque, & ob quamcunque causam sive criminalem, sive civilem lata fuerit: quia pertinacia uniformis est, & in omni casu perseverando censetur contemnere: Imò maior videtur contemptus in causa civili quam in criminali, cum illa minus eum retardare deberet, quin ad iudicem iret, & gratiam expeteret. Atque hoc Concilii verba indicant. *Excommunicatus verò quicumque &c.* quæ comprehendunt excommunicatum tam ex civili, quam ex criminali causa, cum paulo ante *Conc. de creverit*, ob utramque posse excommunicari. Hinc nascitur materia dubitandi, an non idem de Irregularitate, si non omni, saltè aliqua dici possit? Quamvis enim permagna inter Censuram, & Irregularitatem differentia sit, nihil obstat, quo minus in aliquibus adiunctis conveniant propter eadem incommoda vitanda. Nā qui per integrum annum in irregularitate persistens nullam præ se curam ferens de obtinenda dispensatione, non eodem, quo Pii Catholici sensu regi videtur. Sed quia non eadem omnium irregularitatum conditio & consequentia est.

R. 1. Qui à susceptione ordinum, vel progressu ad maiorem seu altiore per irregularitatem impeditur, si de illis dispensatione non valde sollicitus sit, etiam ultra annum, non facile suspectus de hæresi esse debet. *Ratio.* Contingere enim potest,

potest, ut iustas ob causas nec suscipere ordines sacros, nec in susceptis progredi velit: adeoque cum necessitate non urgeatur, negligentia verò omnibus communis, si alias scandalum absit, cur de fidei defectu suspectum habeamus, nulla sufficiens causa est. Alias quicumque sine culpa ex defectu aliquo puta lenitatis, vel natalium irregularis est, appetere, & procurare dispensationem obligatus esset, quòd nimis, quàm alienum à ratione & usu.

R. 2. Qui non aliam ob causam, quàm quòd hæreticis faverent, irregularitate affecti sunt, si in illa diu persistant absque omni cura removendi illam, seque liberandi, de hæresi esse suspecti possunt, & propterea irregularitatem incurrere. Etenim pluris æstimare videntur suam cum amicis familiaritatem, quàm cum Ecclesia pacem, & unionem. Quin aliud si non moveret scandali periculum, quod proclive, ad sollicitandam liberationem sufficiens est: quod quia non attendunt, minùs sincera. Illorum credulitas existimatur.

Limita 1. nisi hæretici sint tolerati, vel communi sensu non formales, sed potius materiales, quorum in provinciis iam pridem ab Ecclesia Romana avulsis ingens numerus, qui nec veræ, & falsæ religionis dogmata norunt, sed eorum cum quibus vivunt, sacra amplectuntur.

Limita 2. nisi propter cognationem, affinitatem aliosque non culpabiles respectus favore, & opera sua hæreticis popularibus, & toleratis assistant, eumque illis amicè vivant. Alias in hisce Germaniæ ditionibus nec ecclesiastici, nec reli-

gioli ab hæretici sensus & affectionis suspitione liberi erant. *Maolus 1.3 c.17. Coninck disp. 18. Dub 7 num 51. Suar. Disp. 43 numer. 8. Filliut. Tract. 20. c. 9. num. 235.*

DVB. 11. An clericis ad Ecclesiam damnata & relicta hæresi reversi in susceptis antea ordinibus, sine ulla dispensatione administrare possint?

R. Probabilibus est non posse, sed prius ab irregularitate per dispensationem liberandos esse. Neque enim absque magna indecentia quàm a sacris muneribus Ecclesia quàm longissimè cupit abesse, neque sine fidelium offensione & scandalo, qui exinde minoris æstimarent sacrorum ordinum functiones, ad pristinum gradum recipi possunt, præsertim si diu, & publicè cum hæreticis vixissent. Quo videtur respicere *Canon. Saluberrimum. 1. p. 7.* ubi de conversis clericis dicitur: *in magno habeant beneficio si adempta sibi omni spe promotionis, in quo inveniuntur ordine stabilitate perpetua maneat.* Poterit autem, ut ex eod. c. colligitur, Episcopus cum illis dispensare, quod ordinem Subdiaconatus, & Diaconatus tantùm. Pro usu Sacerdotii in presbyteris solum dispensare Pontificem communis DD. opinio refert.

Idem dicendum est de episcopo, si ab hæresi ad Ecclesiæ unitatem redeat, quoad usum Pontificalium à solo Pontifice Summo requirendam dispensationem esse, quemadmodum observavit *Franc. Suarez l. cit. Sect. 1. n. 7.* eumque more suo securus *Filliut. Tract. cit. n. 244.*

DVB. 12. Theophilus Sacerdos irregularis, hoc impedimento studiose celato ab episcopo obtinuit facultatem confel-

siones

hones audiendi, audivitque non paucas, quid de valore & effectu iudicandum.

S. Thom. in 4. dist. 17. q. 3. ar. 4. scribit contingere duobus modis posse, ut aliter confessiones Sacerdos audire non possit. *Primo* quia caret iurisdictione. *secundo* quia ab usu, & executione ordinis impeditus est. Iurisdictionem petere, & accipere potest ab eo, qui immediatam in subditos iurisdictionem habet, hoc est, vel à proprio parochio, vel ab episcopo, vel Romano Pontifice: impedimentum vero remotionem ab eo, qui potest illud tollere, ita S. Tho. ex cuius doctrina collegimus, prædictum Theophilum non levis culpæ reum esse, qui non sublato impedimento nullaque iurisdictione obtenta præsumpsit aliorum confessiones audire: eaque propriet omnes illius absolutiones irritas, & inanes esse iuxta *Cono. Tr. definitionem Sess. 24. c. 6* & communem DD. sententiam, qui in Ministro Sacramenti poenitentiae pro validitate sententiae ipsius exigunt potestatem iurisdictionis.

Nec prodest dicere, Episcopum hoc ipso, quod facultatem dedit audiendo confessiones, sustulisse impedimentum irregularitatis. Nam 1. quid si esset irregularitas summo Pontifici reservata, qualis est homicidii voluntarii, vel aliarum, de quibus supra. Nulla certe ipsius concessio, & nulla Sacerdotis iurisdictione erit, si irregularitas non reservata est, per actum, à quo non attingitur, non potest tolli. Non attingi autem per confessionem episcopi inde patet, quia respectu illius involuntaria est. Errantis enim non est voluntas, *h. Nihil consensui. ff. de reg.*

jur. & l. si per errorem. ff. de iurisd. omn. iud. dicitur non consentire eos, qui errant.

At præsumitur, inquis, pro salute animarum concessisse facultatem eo modo episcopum, qui consentibus non obesse, ne sine culpa sua fraudenter piæ intentionis fructu. R. Hoc quidem pro consentium solatio concipere possumus, sed absque solido fundamento. Magis enim supponendum est, episcopum eo modo iurisdictionem communicasse, quo regulariter fieri solet, id est, sub tacta conditione, si subiectum capax est. Ita ferè *Caecilianus l. 6. q. 58. Caeciani, ac Silvestri auctoritatem allegans*, sed non exactè refellens, dicendo, eos non loqui de Sacerdote nec de impedimento antecedente. Verba *Caeciani sunt in V. absolutionis impedimenta*. Quia sunt aliqui casus, in quibus gesta per confessorem sic innodata tenent, id est, scilicet, quod ex iure communi secundum communem sententiam (*l. Bar. barius de off. prat.*) tenent gesta per huiusmodi Iudicem: ubi duo simul concurrunt, scilicet, communis error facti, & titulus. V. gr. si Sacerdos excommunicatus datus est ab episcopo in curatum, & communicato propter hoc, quia nescitur illum esse excommunicatum, gesta omnia per ipsum tenent. Vides manifestè loqui de Sacerdote & impedimento antecedente, censuræ nimirum, seu excommunicationis. Eadem *Silvestri mens est V. Confessor §. 1. num. 15.* si electus, inquit, & confirmatus à Superiore est, sed postea privatus Prælatura pira, quia incidit in hæresim, si privatio fuit occulta, omnia gesta tenent, & paucis interiectis. Ex his concluditur, quod confes-

confessiones factæ cum excommunicato tolerato valent, nec sunt reiterandæ superveniente scientia. Et hoc posterius etiam *Suarez Tom. 4. disp. 26. S. 6. & Tom. V. disp. 10. Sect. 3. n. 7. Item disp. 11. Sect. 2. nu. 14. docet.* Nam Ecclesia in nostro casu, cum ignorantia invincibilis intervenit defectum supplet, ut Sacramentum penitentia non careat effectu suo. Horum Doctorum ergo si quis auctoritate uti desiderat contra priores sententia fautores non difficulter se tueri poterit Prudenter enim in hoc & similibus casibus, ubi animarum salus periclitatur, licet præsumere, ecclesiastici Magistratus mentem non esse, ut cum tanto rigore decreta, & impedimenta aliàs liberè posita cuiquam serviant ad ruinam, quando universalis Ecclesie voluntas est, ut diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum. *Laym. l. 3. Tr. 3. c. 12. nu. 6. Hurtad. de Irregul. D. 1. diff. 11. Escobar Exam. 6. de Irreg. c. 5. nu. 146* ubi asserit nosse se Doctorem, qui irregularem Sacerdotem validè docet absolvere.

DVB. 13. An Magistratus laicus in aliquo casu potestatem habeat tollendi Irregularitatem?

Potestatem dispensandi in irregularitate spiritualem, ac supernaturalem esse, à Christo Domino Ecclesie præpositis concessam nemo nisi à fide orthodoxa alienus negare potest: ut superflua videri queat interrogatio, num à laicis aliquando exerceri possit. Nihilominus in speciali casu aut necessitate id possibile esse videtur: quemadmodum in simili de Iuramentis dicimus, quamvis ad ecclesiasti-

cum Iudicem per se pertineat, non rarè tamen à sæcularibus tolli. Nihilominus.

R. Nullam irregularitatem à laico Magistratu tolli, aut dispensari posse propter rationem insinuatam, quia per se absolute, & totaliter fori ecclesiastici est. In quo multum differt à iuramento. Huius enim materia sæpè civilis, ac politica est, de qua cum in iudicio contenditur, & iuramentum obstat processui, à Iudice etiam in vitis partibus rescinditur, quemadmodum supra in *tt. 1. §. 4. d. 8. exposuimus.* In irregularitatibus ea conditio non reperitur, quoniam materia illarum non nisi spiritualis, ac supernaturalis est, ordines sacri nimirum, quorum vel susceptionem, vel administrationem impediunt.

Supereff ergo, ut sola subiecti & fundamenti subtractione tollatur, quod quia interdum à manu laici Iudicis pendet, ea, si fundamentum sustulerit, consequenter irregularitatem extinguet. Exemplum patet in infamia, & illegitimatione, cuius gratia multi existunt Irregulares: quam notam perdent, si Principe etiam sæculari liberentur. *Vgolinus c. 62. & 63. Præpos. q. 5. de Irregul. dub. 7. q. 4. n. 53. Gibalinus c. 6. q. 1. Confectario 4. Suarez disp. 43. Sect. 2. Escobar Exam. 6. c. 4. n. 65. Cotton. in Sum. Diana V. Censura n. 5.*

Atque hæc proposito nostro sufficiant, cuius iidem termini, qui necessitatis, & brevitatis illorum respectu, quia sacri Iuris notitia rudiores adhuc imbui, quam ob-
rui malunt. &c.

A. M. D. G.

FINIS TOMI TERTII.

INDEX